




Edictum Henrici regis Galliae de pace

<https://hdl.handle.net/1874/9353>

EDICTVM HEN-
RICI REGIS GALLIAE DE
PACE, NVPER A TYPOGRAPHO
Regio Lutetiae editum cum Priuilegio Regis, è Gallico
in Latinum sermonem fideliter
conuersum.




INSCRIPTIO HÆC FVIT:

*Edictum Regis ad compositionem tumultuum huius
regni pertinens.*

LECTVM ET PVBPLICATVM, EODEM DOMI
no sedente in suo Parlamento, 14. die Maij.

1576.



EDICTVM RÈGIS AD COM-
POSITIONEM TVMVLTVVM
regni eius pertinens, quo forma data est, quam ad eam
compositionem tuendam eius Maiestas seruari velit.

HENRICVS DEI GRATIA FRANCIAE
& Polonia Rex omnibus qui nunc sunt, quicq; futuri sunt,
salutem.



Xquo visum est Deo nos ad hanc coronam
vocare, quæ singularis nostra est benevolentia
atq; amor erga subditos, nihil tam nobis
optatum fuit, quæm vt solida coniunctione
& concordia eos reconciliaremus inter se,
& his certam pacem, tranquillitatem, & quietem restitucremus. Quod vt consequeremur, postquam omnes
rationes conquisimus ad id perficiendum idoneas,
tandem re mature & multùm deliberata, adhibitis in
consilium Regina, nostra in primis obseruanda Domina
& matre, Principibus sanguinis nostri, Officialibus co-
rone nostræ, & alijs Dominis ac spectabilibus viris intimi
consilij nostri; Edicto hoc nostro perpetuo, & irrevo-
cibili, diximus, declarauimus, sanximus & constitui-
mus, dicimus, declaramus, sancimus & constituimus,
quod sequitur.

I.

Primum vt quæcunq; ab vtraq; parte gesta sunt per
occasionē tumultuum, qui in regno nostro exorti sunt,
corum omnium memoria ita extincta & sepulta maneat,
quasi nihil eorum contigisset. neuè liceat Procurato-
ribus nostris generalibus, aut alijs personis yllis publi-

2

cis vel priuatis, vlo tempore, vlláue occasione corum
facere mentionem, aut eo nomine instituere actionem,
vel litem mouere apud yllos iudices.

II.

Interdicimus omnibus subditis nostris, cuiuscunq; sint
ordinis & conditionis, ne corum resticent memoriam:
ne adoriatur alius alium: ne iniuria afficiat: néue pro-
uocet criminose eorum quid obijciendo, quæ præcesser-
runt: ne quis de his alteretur, concertet, queratur: ne
ob id alium lædat, aut offendat vel facto, vel verbis: sed
se omnes moderate gerant, & viuant pacifice intese,
vt fratres, amici, & ciues. Qui aduersus ea fecerit, in cum
vt violatorem pacis, & publicæ quietis perturbatorem
volumus animaduerti.

III.

Iubemus, vt religio Catholica & Romana restituatur
in omnibus locis & regionibus huius regni nostri, quæ-
que nobis parent, in quibus eius religionis exercitium
fuit intermissum; vt illic liberè, & paci conuenienter ex-
erceatur, sine vi cuiusquam aut interpellatione. inter-
minantes seuerè, nè quis cuiuscunq; ordinis sit, aut con-
ditionis, Ecclesiasticos turbet, aut inquietet in ce-
lebratione diuini ministerij, in vsu & perceptione deci-
marum, fructuum, & prouentuum, qui ex ipsorum be-
neficijs percipiuntur, aut in vlo alio iure, quod ad
eos pertineat: ijsdem pœnis, quæ suprà comprehensa-
sunt, aduersus eos qui contra fecerint, constitutis.
Quam ad rem volumus, vt omnes, qui per hos tumultus & præcedentes occupauerunt Ecclesiastas, ædificia,
bona, & prouentus ad Ecclesiasticos pertinentes, eaq;
adhuc.

3

ad huc occupata detinent, cedant illis earum rerum pos-
sessione, eosq; patiantur liberè frui omni iure, immuni-
tatis, cautionibus, quas obtinebant priusquam illis
ea adimerentur.

III.

Et ne qua relinquatur materia tumultuum & con-
trouersiarum inter nos subditos, permisimus & per-
mittimus exercitium liberum, publicum, & generale
religionis, ut eam haberi volunt, reformatæ, in om-
nibus urbibus, & locis regni nostri, itemq; regionibus
quaæ sunt sub imperio nostro & tutela, sine exceptio-
ne temporis, personarum, locorum, & regionum. dum
modo loca, & regiones corū sint, qui exercebunt, aut
fiat eorum voluntate & consensu, ad quos earum rerum
proprietas pertinebit. Quibus in urbibus & locis licebit
ijs, qui cam religionem proflentur, conciones habere,
precari, psalmos canere, administrare baptismum & cœ-
nam, publicare & celebrare matrimonia, scholas habere,
& ibi publicas lectiones, correctionem morum consti-
tuere ex forma & præscripto illius religionis, & omnia
alia facere quaæ ad liberum & solidum exercitium illius
religionis pertinent. Licebit his etiam exercere con-
sistoria & synodos tam prouinciales quam generales,
officialibus nostris vocatis in ea loca, in qua synodi illæ
indictæ continerint. In his autem synodis generalibus
& prouincialibus edicimus Officialibus nostris, ut ipsi
vel aliqui ex his intersint. Verumtamen volumus & sta-
tuimus, ut qui sunt illius religionis, abstineant exercitio-
nist publico in nostra urbe Lutetia, suburbij & locis
continentibus intra duas leucas ab urbe. Quas duas leu-

cas circumscriptissimus & circumscribimus his locis quæ sequuntur: nimirum sainct Denis, sainct Maur des fossés, Pont de charenton, le Bourg la Royne, & port de Nully. Quibus in locis nolumus quidquam fieri excedendæ eius religionis caussa. Quod tamen sic accipi volumus, ne quid inquiratur priuatim in eos, qui sunt ab illa religione, quid domi agant eius religionis caussa, neué pueri aut præceptores eorum quidquam cogantur facere, quod ei aduersetur, aut ei præiudicium affeciat. Abstinebunt ijdem etiam eo exercitio in aula nostra, & locis viciniis ad duas vsque leucas, necnon in nostris territorijs, & ditionibus, quæ sunt vltra montes. Quibus in locis nulla quæstio instituetur aduersus eos de eo, quod domi agent, quod ad eam religionem pertineat. Interim speramus fore, vt Deus nobis pro sua benignitate aliquando hoc largiatur, vt rebus libero & sancto concilio generali definitis videamus omnes subditos nostros in vnam eundemq; religionem ac fidem consentientes; id, quod optamus, & quò præcipue spectamus.

V.

Non licebit in regno nostro, regionibus, territorijs, ditionibus imperio nostro subiectis, distrahere vlos libros, priusquam cogniti fuerint ab Officialibus eorum locorum, vbi distrahentur, aut (si de ijs agetur, qui sunt suprà dictæ religionis) ab ijs confessibus, qui paulò post à nobis in unoquoq; Parlamento constituti sunt ad ipsorum lites & controversias dirimendas. Quā ad rem distictè inhibemus omnem excusionem, publicationē, & venditionē librorum omnium, libellorum,

rum,

rum, & scriptorum famosorum, qui ab alterutra parte
fuerint; easq; res ijs poenit subjcimus, quæ in constitutio-
nibus nostris continentur. ac ne quid eorum cueniat,
omnes iudices & officiales nostros sedulò dare ope-
ram iubemus.

VI.

Mortuis sepeliendis, qui sunt illius religionis, si qui-
dem in nostra vrbe & suburbij mortui erunt, volu-
mus ijs, qui eam profitentur, dari coemeterium Tri-
nitatis. In omnibus autem alijs vrbibus & locis volumus
his ab officialibus nostris & magistratibus primo quoq;
tempore locum constitui, ad eam rem quām fieri pote-
rit, accommodatissimū. Quod nostros officiales facere
iubemus, & dare operam, ne in eiusmodi sepulturis in
nostra vrbe Lutetia, aut alibi offendiculi aliquid com-
mittatur.

VII.

Nolumus eos, qui sunt suprà dictæ religionis, vlo-
modo adstringi, aut obligatos manere propter abiura-
tiones, quas antè ediderint, aut propter promissiones;
sacramenta, cantiones ab illis emissas ad caussam eius
religionis pertinentes; & neco nomine vlo modo ve-
xentur, aut inquietentur, vetamus.

VIII.

Licebit his, qui sunt ab illa religione, curare & difi-
cia exstruenda, vbi ea religio exerceatur, præter-
quam Lutetiae, in suburbij, & finitimis locis intra
duas leucas ab vrbe; & quæ antè ab illis exstructa
erant, ea vti nunc sunt, ita illis redditur. Qui
si ad exstructionem nouorum & dificiarum ad eam

rem destinatorum occuparint aliquas Ecclesias, aut domos ad Ecclesiasticos, aut alios Catholicos pertinentes, eas restituent: haec tamen, ne ob tigna his ædificijs iuncta conueniri aut inquietari possint, quamuis ea sumta sint ex ruderibus, quæ deiectis per hos tumultus & superiores ædificijs exstabant.

IX.

Quod attinet ad matrimonia presbyterorum, & personarum religiosarum, quæ ante hoc tempus contrata sunt, propter varias eásq; iustas causas, nolumus eos qui contraxerunt, eo nomine conueniri, aut inquietari. iniungentes in hac re silentium Procuratoribus generalibus & alijs officialibus nostris. Placet tamen, ne filij nati ex huiusmodi nuptijs, patribus aut matribus succedant, nisi in res mobiles, & quæsita immobilia. nam quod ad religiosos ipsos & religiosas attinet, qui quæc professi professæ fuerint, non patimur eos vello modo ad ullam successionem rectam aut collateralem admitti.

X

Qui sunt suprà dictæ religionis, seruabunt leges in Ecclesia Catholica receptas de matrimonijs contractis, quæq; postea contrahentur, in gradibus consanguinitatis & affinitatis: vitandarū litium & controvèrsiarum causa, quæ inde possunt oriri ad subuersiōnem maximæ partis lautarum familiarum huius regni, & dissolutiōnem vinculorum amicitiæ, quæ matrimonijs & affinitatibus conciliari solent. Neq; tamen ob matrimonia iam contracta in tertio aut quarto gradu, poterunt qui sunt illius religionis, inquietari, aut ipsa matrimonia, quasi

quasi minùs firma reuocari in dubium: sed nec successio auferri aut etiam de successionē controvērsia fieri libe-
ris ex illis matrimonij prognatis, siue iam contracta
sint, siue pōst contrahentur. Cūm autem iudicio agetur
de iuribus matrimoniorum ab hominibus eius religio-
nis contractorum, & quæretur, licita sint, an illicita; si-
quidem is, qui eam religionem profitetur, reus erit, hīc
iudex regius cognoscet de causa matrimonij: sin is erit
actor, & Catholicus reus, cognitio erit officialis, & iudi-
cis Ecclesiastici.

XL.

Iubemus scholasticos, & grotos, & pauperes nullo dis-
crimine religionis habito ad Vniuersitates, collegia,
scholas, xenodochia, & nosocomia pariter admitti.

XII.

Eius religionis homines pendent, vt moris est, quæ
pro ingressu præstari solent nomine functionum, & mu-
nerum, quæ illis delata erunt. ceterū non cogentur vli-
li cæremoniæ interesse à sua religione alienæ: item
adacti iurecurando non cogentur aliud præstare, quām
vt sublata manu iurent, & promittant Deo se verum di-
cturos: sed nec cogentur petere relaxationem iurisiu-
randi à se præstiti inter contrahendum.

XIII.

Sancimus, vt omnes subiecti nostri tam Catholicæ,
quām qui sunt religionis, vt eam haberi volunt, refor-
matæ, cuiuscunq; sint ordinis & conditionis, exsoluant
decimas curionibus, & alijs Ecclesiasticis, itēque
omnibus alijs, ad quos illæ pertinebunt, vt erit usus

B &

& consuetudo locorum : ad quam præstationem omnes omnibus modis iustis & honestis cogi volumus, poenis aduersus eos qui recusabunt, constitutis his, quæ alijs editis nostris de hac re editis sunt comprehensæ.

XIII.

Carus & dilectus cognatus noster Princeps Auriacus restituetur in omnes possessiones, iurisditiones, & ditiones, quas habet in nostro regno, & regionibus imperio nostro subiectis; itemq; in Principatum Auriacum, iura, titulos, documenta, & instrumenta, si quæ illic capta erunt, & transposita à præsidibus nostris generalibus, & alijs officialibus. Quæ bona, iura, & tituli redentur cognato nostro, deposita & restituta in eum locum, quo erant ante tumultus, ut illis fruatur ipse & haeredes eius in posterum, secundum cautiones, arresta, & declarationes, quæ de ea re interpositæ sunt, & patione constitutæ à defuncto Rege Henrico, nostro summè colendo Domino & Patre, quem Deus libaret, & ab alijs Regibus successoribus nostris; ut sic fruatur illis, codem prorsus modo quo ante tumultus fruebatur.

XV.

Eius religionis homines obseruabunt dies festos indicatos in Ecclesia Catholica & Romana; nec licebit illis per eos dies operari, vendere, aut officinis apertis merces venum palam exponere; & quibus diebus efsus carnium est ab ea Ecclesia interdictus, macella non aperi-entur.

XVI.

In omnibus actis & actionibus publicis, in quibus
mēntio

mentio fiet supràdictæ religionis, conceptio verborum
hæc erit: Religio, vt eam haberi volunt, reformatæ.

XVII.

Quo magis coalescant nostrorum subditorum vo-
luntates, vt cupimus; declaramus tam Catholicos con-
federatos, quām eos, qui profitentur religionem, vt ha-
beri volunt, reformatam, capaces esse capiendorum &
exercendorum honorum, dignitatum, officiorum, &
munerum omnium cùm regiorum, tum eorum, quæ
aliorum dominorum sunt, aut urbium in nostro regno,
regionibus, territorijs, & ditionibus imperio nostro
subiectis sitarum: idoneos qui sine discrimine ad ea ad-
mittantur. vsq; cò, vt nec neceſſe habeant aliud iusiu-
randum præstare, aut aliam obligationem in ſe ſuscipe-
re, quām fore, vt honores, dignitates, munera, & officia
ſua bene & fideliter exercant, & obſeruent constitui-
tiones. Qui honores, dignitates, munera & officia cùm
cœperint vacare, ſi quidem ea erunt iuris & collationis
noſtræ, conferentur à nobis ſine vlo ſiscrimine religio-
nis in homines idoneos prout faciendum eſſe videbi-
tur pro commodo obſequij nobis debiti, & subditorum
noſtrorum.

XVIII.

Et quoniam ius reddere, iudiciāq; reſtè constituere,
vna eſt ex præcipuis rationibus, quibus continentur
subditi in pace & concordia: nos recipentes postula-
tionem nobis oblatam tam à Catholicis confederatis,
quām ab ijs, qui ſunt religionis, vt eam haberi volunt, re-
formatæ, constituimus iam antè, & nunc quoque

B 2 constitui-

constituimus, vt in curia nostra Parlamenti Parisiensis
 instituatur confessus nouus Iudicu[m] compositu[m] ex
 Præsidibus duobus, & sexdecim Consiliarijs, quorum
 pars sit ex Catholicis, pars ex ijs, qui sunt suprà dicta re-
 ligionis. Quæ officia eorum, qui sunt eius religio-
 nis, circabuntur à nobis & erigentur in eam rem addi-
 tis ijsdem stipendijs, honoribus, auctoritatibus &
 prærogatiuis, quæ sunt ceterorum Consiliariorū eius-
 dem curiæ: quo is confessus supremo loco, ac pro im-
 perio arresta alijs derogantia constituentium, cog-
 noscat & iudicet de litibus & controuersijs iam mo-
 tis, & quæ postea mouebuntur; in quibus Catholici
 confœderati, aut qui sunt religionis, ut haberivolunt,
 reformatæ, subiecti territorio curiæ nostræ aut erunt
 partes principales, aut fideiussores; nihil ut intersit,
 agant, an conueniantur; de causis ciuilibus agatur,
 an de criminalibus; & vtrum hæ lites peragantur
 scripto, an appellatione, quæ verbis constat. si tamen
 ita videbitur partibus, aut vna ex his id desiderabit.
 Atque is confessus ita compositus, & constitutus, ut
 dictum est, mittetur à nobis in urbem nostram Pi-
 etauium, ut illic sedeat, & ius reddat subditis nostris,
 Catholicis confœderatis, & qui sunt dictæ religionis, Pi-
 etauensibus, Angolismensib[us], Alnisijs, & Rupellensibus
 eadem forma & conditione; quæ foret, si federet in curia
 nostra Parlamenti Parisiensis: idq[ue] per tres menses sin-
 gulis annis incipientibus primo die Augusti usq[ue] ad ul-
 timum diem Octobris.

XIX.

Quod

Quod attinet ad territorium curiæ nostræ Parlamenti Tolosani, constituetur confessus unus iudicu[m] in vrbe Monpesulo, compositus ex duobus præfidibus, & octodecim Consiliariis partim Catholicis, partim iis, qui sunt dictæ religionis. ex quibus Catholici eligentur à nobis ex curiis nostris Parlamenti, & Consilii aulici: reliqui nunc primùm creabuntur & erigentur iisdem stipendiis, vt sint honoribus, auctoritatibus, & prærogatiuis, quibus Præsides & Consiliarij curiæ nostræ Parlamenti Tolosani. Eoq[ue] in confessu creabuntur etiam Adiuvatus unus, & Procurator unus generalis, Scribæ publici duo, unus ciuilis, alter criminalis, Apparitores, & omnes alij officiales, non tantum quibus ille confessus indigebit, sed etiam quibus indigebit Cancellaria, quæ ibi à nobis constituetur. crûntq[ue] omnes hi officiales partim ex Catholicis, partim ex his, qui sunt suprà dictæ religionis. Cognoscet autem & iudicabit is confessus supremo loco, & pro imperio arresta aliis derogantia constituentiu[m], delitibus & controversiis iam motis, & quæ postea mouebuntur: in quibus Catholici confœderati, aut iij, qui sunt religionis, vt haberivolunt, reformatæ, subiecti territorio curiæ nostræ Parlamenti Tolosani, aut erunt partes principales, aut fideiussores, vt nihil referat, agant, an conueniantur, sint né causæ ciuiles, an criminales; & vtrum lites peragantur scripto, an appellatione, quæ verbis constat: si tamen ita videbitur partibus, aut si vna ex his id desiderabit.

XX.

Similes confessus constitui volumus in curiis nostris Parlamentorū Gratianopolitani, Burdegalensis, A-

B 3 quensis,

quensis, Diuisionensis, Rotomagensis, & Britonici, singulos compositos ex numero duorum praesidum, & decem Consiliariorum, quorum pars, vt dictum est, erit ex Catholicis, pars ex iis, qui sunt supra dictae religionis. ex quibus posteriores nunc primum creabuntur a nobis eius rei caussa. eruntque hi confessus eiusmodi, quorum unusquisque in eo territorio, in quo constitutus erit, eandem obtineat iurisdictionem, auctoritatem, & potestatem: cognoscet & iudicet eadem forma & ratione, qua supra dictum est in Parlamentis nostris Parisiensi & Tolosano. tantum quod ad Delphinatum attinet, erit eius confessus sessio bipartita: una per sex menses erit Gratianopoli: altera per reliquos sex menses in urbe sancti Marcellini, incipiente prima sessione in dicta urbe sancti Marcellini.

XXI.

Volumus etiam tanquam momentaneæ possessionis caussa, & donec in conuentu generali omnium ordinum regni nostri, quem instituere cogitamus, aliter a nobis constitutum fuerit, vt quæcumque res iudicatae erunt ab officialibus confessuum nostrorum Praesidiuum, aut ab aliis, quibus in quibusdam caussis summo loco iudicandi fecimus potestatem, si quidem iudicatae erunt in litibus vel motis, vel quæ postea mouebuntur, in quibus aut Catholicorum foederati, aut qui sunt supra dictæ religionis, erunt legitimè agendo, aut actiones suscipiendo principales rei, aut fideiussores, siue caussæ ciuiles erunt, siue criminales, in his sit a superioribus iudicibus prouocatio ad superiores confessus

fessus nunc primūm constitutos in nostris Parlemen-
tis: non obstantibus omnibus edictis ad auctoritatem
& iurisdictionem iudicium Præsidialium pertinentibus;
quibus hac in re, quod sine præiudicio ceterarum par-
tium fiat, derogauimus & derogamus. Erit autem hæc
prouocatio eiusmodi in caussis ciuilibus Præsidialibus,
vt deuoluat solùm cognitionem, nō vt suspendat: præter
quam si cōmuni consensu inter litigatores conuenerit,
vt eorum lites iudicarētur à præsidialibus supremo loco.
Quod cùm accidet, huic capiti edicti locus non erit, sed
nec id locum habebit in his cōfessibus, in quibus erit iu-
stus numerus iudicium, qui sunt suprà dictæ religionis ad
eas lites, de quibus diximus, dirimendas. quod facere
poterunt cùm pari numero iudicium Catholicorum, ita
vt cùm in casibus, qui edictis nostris comprehensi sunt,
id factum erit, non sit potestas appellandi. Interim iu-
stis caussis moti statuimus, ne instructio & iudiciū cau-
sarum criminalium quæ nunc sunt, aut postea incidēt in
tribunali Senescalli Tolosani Toloſæ constituti, quibus
in caussis Catholicis consœderati, & qui sunt suprà dictæ
religionis, crunt rei, exerceantur in ea vrbe, sed in eo tri-
bunali, quod Senescalli tribunali proximum fuerit: ad
quod iam nunc eas caussas remissimus & remittimus ea
lege, vt sit ab eo prouocatio ad eum cōfessum, qui Mon-
peliensi est constitutus.

XXII.

Præfecti carissimorum, & dilectorum cognato-
rum nostrorum Tribunorum militum Franciæ, Vicebal-
liui, Vicesenescalli, Locum tenentes sagati, & alij omnes
officiales

Officiales eiusdem conditionis iudicabunt secundūm constitutiones, & formam antea datam, de erronibus. Quod attinet ad eos, qui domicilium habebunt, qui delati erunt alicuius criminis ad iurisdictionem præfectorum pertinētis, si erunt ex Catholicis confœderatis, aut suprā dictæ religionis: curabunt suprā scripti officiales, ut ad instructionem & iudicium eorum causiarum adhibeant parem numerum nostrorum officialium, quales ad eam rem iure adhiberi oportet, tam ex Catholicis, quam ex iis, qui sunt religionis suprā dictæ, ex proximis tribunalibus præsidalibus, aut regiis in his prouinciis, in quibus subsellia præsidalia nulla sunt: si tamen ibi tam multi, qui sint eius religionis, reperiti possint. aliqui eorum loco adhibebuntur Aduocati, si illic reperiantur, qui sint eius conditionis.

XXIII.

Statuimus, volumus, & nobis placet, ut carissimus & dilectissimus sororius noster, Rex Nauarræ, carissimus & valde dilectus cognatus noster Princeps Condæus, carissimus cognatus noster Dominus Danuillæus, Tribunus militum Franciæ, itémque omnes alij magnates, equites aurati, nobiles, & alij, cuiuscunque sint status & conditionis, tam Catholici confœderati, quam qui sunt suprā dictæ religionis, redeant in possessionem suarum præfecturarum, muncrum, honorum, & officiorum regiorum, quæ obtinebant ante 24. Augusti 1572. in eaque possessione defendantur, absque vlla noua collatione nostra. nec obstentylla arresta, & sententiæ aduersus eos latæ, aut collationes earum functionum, quæ ab alijs impetratae essent. Ut redeant item in pos-

in possessionem omnium bonorum suorum , iurium, nominum, rationum & actionum; nihil obstantibus iudiciis, quæ per caussam tumultuum insecura sunt. quæ arresta, iudicia, collationes, & quidquid inde secutum erit, declarauimus ob eam causam, & declaramus nulla, & nullius momenti.

XXIII.

Quæ suprà dicta sunt, non sic accipi volumus, ut qui transcriberint functiones & officia sua, interposita auctoritate diplomatis nostri, aut Regis nuper defuncti carissimi Domini & fratris nostri, possint ea recipere, & redire in eorum possessionem. His tamē integrā actionem esse volumus aduersus eos, qui eas functiones teneant, possident, de precio, de quo inter eos eius transcriptionis nomine conuenerit. Quod si qui à priuatis vi coacti erunt, ut suas illas functiones & officia transcriberent, his corūmque hæredibus actionem ciuilem esse volumus eo nomine aduersuseos, qui vim fecerūt, nec non hæredes eorum, & successores.

XXV.

Statuimus etiam, ut si quæ Commendatariae ordinis Sancti Ioannis Hierosolymitani, quæ sint in iure Catholicorum confederatorum, aut hominum suprà dictæ religionis, reperiantur captæ auctoritate iudicium nostrorum, aut ab aliis prætextu tumultuum quoquo modo occupatae, hæ soluto pignore reddantur Commendatariis, restituaturque his possessio ita, ut quo modo possidebant ante 24. Augusti 1572. ita & nunc liceat his possidere.

XXVI.

Quod si in quos ex Catholicis confederatis, aut ijs qui sunt suprà dictæ religionis, aliqua officia collata iam antè fuerint, ad quæ nondum sint admissi; volumus & nobis placet, vt ad ea admittantur, & omnes ad eam rem prouisiones necessariae eis suppeditentur.

XXVII.

Item vt Catholici confederati redeant in possessionem beneficiorum suorum, ijsq; liberè fruendi ius, quod ante diem dictum 24. Augusti habuerunt. vtq; hi, qui auctoritate sua sine mandato aut beneficio nostro ea beneficia possederunt, & fructus perceperunt, etiam fructus illis restituere cogantur.

XXVIII.

Omnis controversia de redemtione eorum, qui per hos tumultus ab alterutra parte capti sunt, nobis sunt seruatae, vti & nos eas seruamus nobis & personæ nostræ: interdicentes partibus, ne alibi quam apud nos, de ea re actionem instituant, & officialibus ac magistratis nostris, ne de ea suscipiant ullam potestatem, iurisdictionem, aut cognitionem.

XXIX.

Proclamationes, programmata, & subhastationes prædiorum, quorum nomine decretum petitur, exercebuntur locis & horis consuetis, si fieri potest, iuxta constitutiones nostras: aut in foro aliquo publico, si quod sit in eo loco, ubi prædia sita sunt: quod si ibi nullū erit, exercebūtur in proximo foro, quod sit in eo territo,

rio, in quo fieri debet adiudicatio. Programmata autem affigentur posti iudicario eius fori, & in auditorij eius loci ingressu. quo obseruatovtiles erunt proclamatio-nes, recteque procedetur ad interpositionem decreti, ne-glectis vitijs, quæ in hac re possent allegari.

XXX.

Quæ Catholici confederati, aut ij qui sunt religionis, vt eam haberi volunt, reformatæ, sine auctoritate no-stra na&ti erunt, si res immobiles sunt ad Ecclesiam per-tinentes, in his nulla erit acquisitio: quin statuimus, volumus, & ita nobis placet, vt Ecclesiastici confessim & sine vlla dilatione recipiant possessionem naturalem bonorum ita alienatorum, quamvis precio non oblato. nec his quidquam obstent contractus venditionis; quos ob eam rem, tanquam si nulli essent, irritos feci-mus: salua manente actione emtoribus aduersus eos, quibuscum eo nomine per ius agere licebit. Nihilo-minus tamen ijs, qui sunt suprà dictæ religionis, paratae erunt literæ patentes nostræ, quibus potestas his fiet suos ad collationem æquabilē vocandi tantæsummæ, quantum est premium earum venditionum de quibus agetur, vnde possit emtoribus dissolui, quod ab illis re-uera & sine fraude numeratum fuerit. nam de damno & eo, quod ipsorum propter eam euictionem interest, nullam illis actionem esse volumus: sed contenti erunt precio ab ipsis soluto, computatis in rationem eius de-bit exonerandi fructibus, quos ipsi perceperunt, si qui-dem res nimis vili & iniquo precio distractæ esse repe-riantur.

XXXI.

Exhæredationes , aut ademtiones odio religio-
nis, aut tumultuum factæ, siue inter viuos, siue testamen-
to factæ erunt, neque in præteritum neque in futurum
Catholicis confœderatis, aut his qui sunt religionis, vt
eam haberi volunt, reformatæ, nocebunt: dummodo
nulla alia fuerit caussa, quæ religionis, aut armorum
captorum. Idemque seruari volumus de his exhæreda-
tionibus & ademtionibus, quæ odio religionis Catho-
licæ factæ fuerint. Testamenta tamen militaria, quæ
tempore horum aut superiorum tumultuum facta e-
runt, vt iure cautum est, valebunt.

XXXII.

Peruersitates & enormia illa, quæ admissa sunt 24.
Augusti, & insequentibus diebus per consequentiam
eius dici, Lutetiæ & in aliis vrbibus, & locis Regni no-
stri, acciderunt nobis maximè acerbo & iniquo animo
ferentibus. Et vt testata sit singularis bonitas nostra & be-
nevolentia erga subditos, declaramus viduas & filios
eorum, qui per eos dies occisi sunt, quacunque in parte
regni nostri id acciderit, immunes ab omnibus colla-
tionibus, & præstationibus, quæ ex caussa edictorum
nostrorum ad electus militares iniungi solent, si mari-
ti, aut patres erant nobiles: qui si conditione ignobiles
fuerint, & eius cōditionis, quæ obnoxia fuerit præstatio-
nibus publicis, nos iisdem de causis exoneramus eo-
rum viduas & liberos omnibus tributis & indictioni-
bus: vtrumq; ad sex annos continuos proximè sequen-
tes. edicentes omnibus officialibus nostris vnicuique
in suo munere, ne quis suprà scriptas personas in nume-
rum

tum eorum, qui præsent, referat in fraudem huius voluntatis, & animi nostri.

XXXIII.

Sententias, iudicia, arresta, caussæ cognitiones, pignorum captiones, venditiones, decreta, quæ interuenerunt aduersus eos, qui sunt suprà dictæ religionis, vt eam haberi volunt, reformatæ, tam viuos quam mortuos post obitum Henrici Regis nobis maximè colendi Domini & Patris per caussam tumultuum ex illo securorum: executionem item earum sententiarum, & decretorum: omnia iam nunc irrita facimus, reuocamus, & pro nullis esse volumus, statuimusq; , vt inducantur, & tollantur ex actis, & archiuis curiarum nostrarum tam summarum, quam inferiorum. Vti & sublatas ac deletas esse volumus omnes notas, omnia vestigia, & monumenta earum executionum, libros, & acta famosa aduersus personas eorum, memoriam & posteritatem. Præterea vt quibus in locis ea de caussa aliquid destrutum aut erasum est, ea loca vti nunc sunt, ita redantur dominis eorum, vt ea illis suo iure habere, deq; his pro arbitrio statuere liceat. Idem volumus & iubemus seruari in caussa Catholicorum confederatorum, & nominatim in arrestis & sententijs latissaduersus Dominos de la Molle, Coconas, & la Haye locum tenentem generalem Pictorum. Et generaliter irritas fecimus, reuocauimus, & pro nullis esse iussimus omnes cognitiones, & inquisitiones suscepitas ob consilia quælibet, delationes, & crimina, quæ dicuntur esse læsa Maiestatis, aut alia: vt sine præiudicio vlo earum cognitionum, arrestorum, & iudiciorum, quamvis ea publicationem

& incorporationem bonorum in fiscum contineant,
non solum Catholici confederati, & qui sunt suprà di-
cta religionis, sed etiam hæredes eorum redeant in na-
turalem possessionem omnium bonorum.

XXXIII.

Et quoniam superior nostra declaratio facit, vt om-
nia arresta, & sententiæ latæ aduersus defunctum Do-
minum de Chastillon Amirallum Franciæ, & exsecutio
eorum fiant nulla & nullius momenti, tanquam quæ
nunquam interuenissent: Nos conuenienter ei decla-
rationi volumus & iubemus, vt omnia illa arresta, sen-
tentiæ, cognitiones, & acta, quæ aduersus eum Domi-
num de Chastillon interuenerunt, inducantur, laceren-
tur, & tollantur ex archiis tam curiarum nostrarum
Parlamenti, quam aliarum omnium iurisdictionum;
vtq; non solum memoria Amirallij, sed etiam libero-
rum eius honos, existimatio, & bona integra maneant:
quamuis illis arrestis vñita sint & incorporata ea bona
in dominium coronæ nostræ: cuius rei declarationem
pleniorem & magis specialem iubebimus filijs eius ex-
pediri, si ipsis videbitur.

XXXV.

Idem fieri volumus circa Dominos de Montgomme-
ry, Mombrun, Briquemaut, & Cauaignes.

XXXVI.

Vetamus, ne fiant vñlæ supplicationes publicæ cùm
ob mortem defuncti cognati nostri Principis Condæi,
tum ob diem sancti Bartholomæi, & alia facta, quæ pos-
sint tumultuum memoriam renouare.

XXXVII.

Omnes

Omnes cognitiones exercitæ, sententiæ & arresta lata aduersus eos, qui sunt suprà dictæ religionis, ferentes arma, aut qui absunt ab hoc regno, quíue sc̄e receperunt in vrbes & regiones eius regni ab ipsis occupatas, in aliqua alia cauſſa, quām illius religionis & tumultuum: item omnes peremtiones instantiarum, præscriptio-nes tam legitimæ, & conuentionales, quām moribus receptæ, capiones etiam feudorum, quæ his & prioribus tumultibus acciderunt, eo loco erunt, quasi non interuenissent; easq; tales, declarauimus & declaramus, atq; ita irritas fecimus & facimus, vt litigatoriis nullo mo-do prodeſſe possint; quamvis hi qui sunt religionis suprà dictæ, auditii sint & defensi per procuratores: sed ve-nient res in cum locum, in quo erant antea sine metu superiorum arrestorum, & executionum, quæ illa secu-tæ sunt: restitucturq; illis ea possessio rerum, in qua erant 24. Augusti 1572. Valebunt autem quæ suprà scripta sunt & pro Catholicis confederatis, ex quo tem-pore armigerere cōoperunt, aut abesse ab hoc regno propter tumultus; itemq; pro filijs minoribus eorum, qui sunt in superiore cauſſa, qui filij tempore horum tu-multuum decesserunt. Declaramus præterea nullas & nullius momenti omnes cognitiones exercitas, & sen-tentias codem tempore latas aduersus suprà scriptas personas absentiæ & contumaciæ cauſſa; nec non corū iudiciorum execuſiones: restituentes partes in inte-grum ius suum, quod antè habuerunt, non refusis sum-tibus, aut multis obsignatis.

XXXVIII.

Omnes captiui, qui detinētur vel auctoritate iudicis, vel aliter

aliter, etiamsi dati sint ad remos per caussam horum & superiorum tumultuum, liberabuntur custodia & restituentur in libertatem ab vtraq; parte fine vlo precio redēmptionis. quam ad rem infirmamus & nullas esse volūmus obligationes omnes eo nomine contractas, liberamūsq; omnes earum accessiones. Quod si quid iam antē numeratum sit redēmptionis caussa, dummodo ab his qui bello capti erant, non placet id repeti posse ab ijs, qui acceperunt. Quod attinet ad ea quæ facta & capta sunt alio, quām hostilitatis iure, aut obtentu quidem hostilitatis, sed aduersus ordinem publicum, priuatūm præscriptum à Ducibus, aut Vniuersitatibus, & prouincijs, penes quas imperandi ius erat, in quibus quod factum est, ratum habitum non sit, nechahabitur postea intra duos menses, postquām hoc editum publicatum fuerit, licebit de his aduersus ytramq; partem agere ordinaria tamen via & ciuiliter.

XXXIX.

Iubemus etiam ea crimina & delicta coērceri, quæ inter eas personas, quæ easdem partes sequebantur, admissa sunt tempore tumultuum, induciarum, aut quo cessatio erat ab armis: nisi ea facta rata habita erunt à Ducibus vtriusq; partis intra suprà scriptos duos menses. Quod attinet ad collectiones, exactiones pecuniarum, armorum gestiones, & alios actus bellicos, à quibus auctoritas publica, aut ratihabitio superioraberit, de his vt per ius licet, agendi potestas erit.

XL.

Mobilia quæ exstabunt, quæ hostilitatis iure capta non erunt, restituentur his ad quos ea pertinent, si quo tempore

tempore publicatum erit hoc edictum, reperiantur esse penes eos, qui occuparunt, aut eorum hæredes, nullo nomine precio oblato. quæ si distracta erunt & alienata auctoritate iudicis, aut alio iussu mandatue publico vel Catholicorum, vel eorum qui sunt suprà dictæ religionis, poterunt nihilominus vindicari, dum tamen hoc casu premium emtoribus refundatur, quo loco declaramus inter facta hostilitatis habendum non esse, quod factum fuit Lutetiæ, & alibi 24. Augusti 1572. & ijs diebus, qui securi sunt, per consequentiam eius, quod eo die 24. Augusti factum est.

XL I.

Quod ad fructus rerum immobilium attinet, unusquisq; recipiet possessionem ædium & bonorum suorum, & vicissim obtinebit fructus huius anni, maximè Ecclesiastici: nec quo minus id fiat, vllæ pignoruni capiones, vlláue impedimenta, quæ per hos & superiores tumultus obiecta fuerint, obstatunt. vti & fruetur quisque præteritis pensionibus reddituum annuorū, qui vel à nobis, vel mandatu permisive nostro, vel iussu iudicis, aut Ducis aduersæ partis auctoritate capti nō erunt.

XL II.

Milites & præsidia, quæ sunt, aut erunt in domibus, locis, vrbibus, & arcibus subditorum nostrorum, cuiuscunq; religionis hi sint & conditionis, cedent loco confessim post publicationem huius edicti, quò dominis eas res liberè & sine vlla interpellatione habere liceat, vti habebant priùs, quām illis exclusi essent: quodcunq; tandem ius obtendetur ab ijs, qui ea detinebunt. de quo silitigare volent, licebit ijs modis quibus per leges conceditur, sed postquam earum rerum possessione cesse-

D rint.

rint. quod nominatim volumus præstari in beneficijs,
à quibus deiecti erant, qui titulo ea possidebant.

XLIII.

Omnis tituli, chartæ, instrumenta, & documenta capta, ab utrâque parte restituentur ijs, quorum illa sunt: quamuis ea, aut arces & ædificia in quibus illa afferabantur, capta fuerint & occupata vel specialibus iussis nostris, vel mandatis legatorum nostrorum & Præsidū prouinciarum, vel auctoritate Ducum partis aduersæ, aut quocunque alio prætextu.

XLIII.

Liberum commercium & liber commeatus restituuntur per omnes vrbes, vicos, pagos, pontes, & itinera Regni nostri, regiones, territoria, & ditiones, quæ sunt sub imperio & tuitione nostra: tam mari, quam terræ fluuijs & aquis dulcibus, vti erant ante hos & superiores tumultus, sublati vestigalibus omnibus & præstationibus alia auctoritate, quam nostra per hos tumultus impositis.

XLV.

Omnia loca, vrbes, & prouinciae omnes Regni nostri, regionum, territoriorum, & ditionum imperio nostro subiectarum, fruentur ijsdem priuilegijs, immunitatibus, libertatibus, nundinis, foro, iurisdictionibus & tribunalibus, quibus fruebantur ante hos tumultus; nec obstat translatio quorundam ex illis tribunalibus; aut vllæ literæ contrariae restituenturq; illa tribunalia ijs vrribus & locis, in quibus erant prius.

XLVI.

Et quoniam antè declarauimus Catholicos confederatos, & eos qui sunt suprà dictæ religionis, capaces omnium

omnium honorum, officiorum, dignitatum, & munere-
rum quorumcunque, tam quæ Magnatum aliquorum
sunt, quam quæ vrbium Regni nostri, regionum, territo-
rium, ditionum imperio nostro subiectarum, & idoneos
qui sine discrimine ad ea admittantur: volumus
pariter his ius esse capiendi munera procuratorum &
syndicorum cuiusque regionis, vrbis, & loci; eos in ea
causa esse, vt admitti possint ad consilia, deliberatio-
nes, conuentus, tam in quibus de eligendis magistrati-
bus prouinciarū agetur, quam in quibus agetur de alijs
functionibus, quæ ex suprà scriptis rebus pendent: nec
his obsit religio, aut tumultus, quo minus ad ea admit-
tantur, aut admissi his fruantur.

XLVII.

Non licebit in posterum eos, qui sunt religionis suprà
dictæ, onerare aut premere vllis oneribus ordinarijs vel
extraordinarijs, suprà, quam Catholicos licet, aut suprà,
quam fert eorum patrimonij & facultatum modus.
quod si qui querentur se grauius iusto oneratos, adire
poterunt eos iudices, quorum ea iurisdictio est. Quibus
subditis nostris aliqua onera imposita erunt ab altera-
tra parte, dum hi abessent, nec potirentur bonis suis
propter tumultus: hi cuiuscunq; religionis sint & con-
ditionis, his oneribus omnibus sine discrimine exone-
rabuntur: haec tamen tamen ne fructus in ea onera captos
& in solutionem eorum conuersos, possint repetere.

XLVIII.

Non patimur etiam, vt Catholici confederati, & ij,
qui sunt suprà dictæ religionis, nec non alij Catholici,
qui commorabantur in vrbibus & locis ab illis occupa-
tis, & possessis, quiq; illis de suo aliquid contribuerunt,

teneantur vllis tributis, collationibus, concessis, incrementis, tributillis, reparationibus, vtensilibus, & alijs imperatis, subsidijs tue præteritis, & impositis à 24. Augusti 1572. ad hunc usq; diem: siue mandatis nostris, siue auctoritate ordinum, Rectorum prouinciarum, curiarum Parliamentorum iniuncta fuerint. à quibus exoneravimus eos, & exoneramus: edicentes Quæstoribus Franciæ, generalibus administratoribus ærarij nostri, collectoribus generalibus & particularibus, corum procuratoribus & institutoribus, aut auctoribus alijs, & eiusdem ærarij curatoribus, ne illos conueniant eo nomine, ne vexent, aut vlo modo seu recta seu obliqua via inquietent.

XLIX.

Declaramus habere nos carissimum & dilectissimum fratrem nostrum Ducem Alenconium pro nostro bono fratre: carissimum & dilectissimum sororium nostrum Regem Nauarræ pro bono sororio nostro & cognato: & carissimum ac dilectum cognatum nostrum Principem Condæum pro nostro cognato, fidei subdito & addicto: uti habemus etiam carissimum & dilectum nostrum cognatum Dominum Danuillæum Tribunum militum Franciæ, & omnes alios Magnates, equites auratos, nobiles, officiales, incolas vrbiuum, Vniuersitatum, vicorum, pagorum, & aliorum locorum regni nostri, & regionum imperio nostro subiectarum, qui eos secuti sunt, his opem & suppetias quo cunq; modo tulerunt, pro nostris bonis subditis, & addictis: auditâq; declaratione fratris nostri Ducis Alenconij, nobis abundè factis factum putamus, probatumq; sincerum eius consilium fuisse, nec per eum, aut eos qui participes fuerunt, quiue

quiue villo modo easdem res tractarunt, seu viuos seu mortuos, quidquam factum esse, quod non ad obsequium nobis debitum referretur. Declaramus, si quæ arresta, testificationes, cognitiones de ea re interuenerint, omnia nulla esse & nullius momenti, tanquam si nunquam interuenissent: iubemus, vt inducantur, lacerentur, & tollantur ex archiuistam curiarum Parlamento rum, quæm aliarum iurisdictionum, quarum in astare lata fuerint.

L.

Habemus etiam & censemus in numero nostrorum bonorum cognatorum, vicinorum, & amicorum, carissimos & dilectos nostros cognatos, Comitem Palatinum Electorem Sancti Imperij, & Ducem Ioannem Casimirum filium eius; nec quod ab his factum est, alio loco habemus, quæm quod factum sit obsequij nobis præstandi caussa.

LI.

Declaramus item conscriptionem & expeditionem Heluctiorum, maximè Nouoconij, & Vallangini, & aliorum quorumlibet, non nisi obsequij nobis præstandi caussa esse susceptam.

LII.

Sancimus, vt filij eorum, qui post obitum defuncti Regis Henrici, nobis maximè colendi Domini & patris, ex regno nostro religionis aut tumultuum caussa migrarunt, etiamsi filij extra regnum nostrum nati sint, habeantur pro veris Francis & regnicolis; quales eos esse declarauimus & declaramus, vt ad eam rem non sit opus impetrare vllas literas originis, aut alias prouisiones à nobis; sed vnum hoc edictum sufficiat, non obstante-

būs nostris constitutionibus contratijs. quibus in hac parte derogauimus, & derogamus.

LIII.

Quas pecunias ceperunt, & collegerūt tam frater nōster Dux Alenconius, Rex Nauarræ, & Princeps Condæus, quām Dominus Danuillæus, & alij Magnates, Equites aurati, nobiles, officiales, corpora vrbium, & Vniuersitatum, omnesq; alij, qui his opem & suppetias tulerunt, quæ pecunia illorum iussu captæ & collectæ erunt, tam ex quæsturis nostris & ærario, quantamcunq; summam illæ efficiant, quām ab vrbibus, Vniuersitatibus, & à priuatis, ex pensionibus, redditibus, argentarijs, venditionibus bonorum mobilium Ecclesiasticorum, & aliorum, lignis cæsis ex syluis non cæduis vel nostris, vel alienis: item ex multis, prædis, redēptionibus, aut si quæ sunt alterius generis pecunia, quæ captæ sint per caussam horum & præcedentium tumultuum; earum pecuniarum nomine omnes qui suprà scripti sunt, eorumq; hæredes & successores omni obligatione liberi & soluti manebūt, ita vt neq; ipsi neq; ij quibus earum pecuniarum colligendarum cura ab illis mandata est, aut qui illorum iusu eas dederunt, subministrarunt, possint eo nomine aut in præsentia aut in posterum conueniri: discedent & ipsi, quibusq; hæc cura ab illis commissa est, soluti omni obligatione tractationis & administrationis earum pecuniarum, dum proferant apochas, iustæ liberationis loco futuras, quæ intra quatuor menses, ex quo hoc edictum in curia nostra Parlamenti Parisiensis publicatum erit; illis redditæ erunt ab eodem fratre nostro, Rege Nauarræ, Principe Condæo, aut

Tribuno

Tribuno militum Danuillæo, aut ab his, quibus illi eorum rationum auditionem, & subscriptionem deleguerint, aut etiam ab alijs Ducibus, vel corporibus urbium, penes quos, quæue in his & superioribus tumultibus imperandi potestas fuit. Consimiliter & ciues atq; incolæ vrbis Rupellæ, itemq; aliae Vniuersitates manebunt solutæ omni obligatione, quæ metui potuisset ob conuentus publicos & priuatos habitos, iurisdictionem nouam introductam, ordinem ab his & formam Reip. cōstitutam, iudicia hinc nata & eorum exsecutio-nes, siue ciuilis causa fuerit, siue criminalis: item ob omnia hostilia facta, conscriptos & ductos milites, cui-sam monetam iussu Ducum, fabricationem tormentorum bellicorum, corum & munitionum bellicarum occupationem tam ex nostris armamentarijs, quam à priuatis, pulueris bombardici, & halonitri confectio-nem, inuasionses, munitiones locorum, demolitions moenium, vrbium, arcium, vicorum, & pagorum, consilia aduersus ea loca inita, concremationes & demo-litiones templorum & ædificiorum, profectiones, consiliorum collationes, negotiationes, tractatus, & contractus initos cum omnibus principibus & Vniuersitatibus exteris, introductos exteros in vrbes & alia loca regni nostri: & generaliter ob ea omnia quæ facta sunt, gesta, & tractata tam à Catholicis confe-de-ratis, quam ab his, qui sunt suprà dictæ religionis per hos & superiores tumultus iam inde ab obitu Domini nostri & patris, quem diximus, quamvis eiusmodi sint, quæ alioqui specialem expressionem deside-rent. Quam declarationem nostram sequentes in-telligi volumus Dominos Vidamium Carnutensem,

& de

& de Beauuoir solutos esse & manere, eosq; adeo specia-
liter soluimus & liberamus omni obligatione, quæ ad-
uersus eos obtendi potuerit ob tractatus & negotia-
tiones ab his cum Regina Angliae interpositas Anno 1562.
nihil hic ab illis factum esse existimantes, quod non ad
obsequium nobis debitum pertineat: quamuis priori-
bus editis de pacificatione nihil nominatim de eo com-
prehensum fuerit. Pro quibus à nobis concessis vicissim
Catholici confederati, & qui sunt suprà dictæ religio-
nis desistent & discedent ab omnibus foederibus, quæ
in hoc regno, aut extrâ constituta habent, neq; in poste-
rum vllas collectiones pecuniarum instituent nisi per-
missu nostro, nullos catalogos hominum conscribent,
nullos conuentus habebunt alios, quam qui illis suprà
concessi sunt, & sine armis. ac ne habeant, vetamus, de-
nunciantes feueram poenâ ijs qui secus facient, vt con-
temtoribus nostrarû constitutionum & violatoribus.

L IIII.

Neq; officiales nostri suprà dictæ vrbis Rupellæ, neq;
Magistri, Decuriones, Pares, aut alij incolæ eius vrbis
conuenientur, vexabuntur, aut inquietabuntur, nomi-
natim ob iussa, prehensiones in vrbe aut foris decretas,
exsecutiones sententiarum ab illis latarum postea secu-
tas, idq; propter consilia, quæ existimari volunt capta
fuisse aduersus vrbē mense Decembri 1573. Item pro-
pter nauem quandā nomincla Rondelle, & exsecutio-
nem sententiarū aduersus eos, qui cius armandæ caussa
in naue erant, latarum: neq; deniq; ob alia vlla facta. à
quibus omnibus nos in totum eos exoneramus, vt su-
prà dictum est.

L V.

Quæcunq;

Quæcunq; capta erunt permittentibus aut appro-
bantibus ijs, ad quos is permissus & approbatio perti-
net; item de quibus iudicatum erit à iudicibus Ami-
rallatus, aut ab ijs iudicibus, quibus ea cognitio à Ca-
tholicis confoederatis, aut ijs qui sunt suprà dictæ reli-
gionis, delegata erit; de his controuersia omnis sopita
manebit beneficio huius editi, vt neq; vlla possit per-
secutio institui eo nomine, neq; centuriones, eorum fi-
deiuſſores, ijdem illi iudices, officiales, aut alij vllam
actionem aut negotium eo nomine pati: quamuis de
his rebus impetratæ sint antea literæ de limitibus, aut
pignora capta in ea cauſâ, re tam en adhuc pendente, &
neccum iudicata. quæ pignora eo nexu liberari, & suis
dominis pleno iure permitti volumus.

LVI.

In ijs vrbibus, quarum mœnia per hos aut superiores
tumultus deiecta erunt, licebit incolis reparare ruinas
& mœnia instaurare, si illis videbitur, suis sumtibus.

LVII.

Qui ex Catholicis confoederatis, & hominibus suprà
dictæ religionis conduxerint per hos tumultus scriba-
tus aliquos, aut aliud dominium, vedi galia, impositio-
nes forenses, aut alia quæ sint iuris nostri, quibus illi
tempore tumultuum frui non potuerunt; soluti eo no-
mine manebunt, vti & nos eos liberamus eorum nomi-
ne, quæ ex illis redētionib⁹ non perceperunt post
24. Augusti 1572. aut quæ sine fraude alibi soluerunt,
quām in quæsturis ærarij nostri, in quo nullas obligatio-
nes ab his contractas ipsis nocere volumus.

LVIII.

Et quoniam acerbitas, & series tumultuum, qui tot

E iam

iam annos hoc regnum exercent, ita mutauit omnium rerum ordinem, vt nisi hoc restituto non possint subditi in fida coniunctione, & mutua consensione animorum contineri, quò quietè & tranquillè viuant, quò semper præcipuè cura nostra & studium spectarunt: dum iudicamus ad id optimè constituendum nihil nos posse tacere consultius, quàm si postulationes & querelas omnium subditorum nostrorum ex omnibus prouincijs regni nostri audiamus, ob hanc cauissam iam à principio, ex quo ad hanc coronam venimus, constitueramus indicere conuentum generalem ordinum. neq; potuimus vsque adhuc perficere non sine acerbo dolore nostro, propter tumultus. Nunc postquam visum est Deo his finem dare, nos in veterem nostro boro & sancto proposito pro commodo subditorum nostrorum manentes, dicimus & declaramus, volumus & nobis placet, vt ijdem illi conuentus generales ordinum à nobis indicantur, & conuocentur in vrbē nostrā Blæsiū, vt illic ita habeantur, vtibōno, antiquo & laudabili more huius regni receptū est, idq; intra sex menses, qui publicationem huius edicti in curia nostra Parlamenti Parisiensis factā proximè sequētur: quo nomine expedientur à nobis mādata ad eam rem necessaria. Hæc cō, vt auditis admonitionibus, querelis, & postulationibus, quæ ad nos ab illis delatæ erunt, constituatur à nobis, quod in rem huius regni faciendum esse videbitur.

LIX.

Catholici confederati, & qui sunt suprà dictę religio nis confessim post publicatum hoc edictum nostrum, efficere debebunt, vt omnia presidia vrbium, locorum, arcium, & domorum, quas tenent, tam quę sunt nostre, quām

quam quæ priuatorum, & maximè Ecclesiasticorum, cedant earum rerum possessione, easq; restituant omni ex parte liberas, vt sint eodem loco, quo erant tempore pacis ante hos & superiores tumultus. Nihilominus tamē propter iustas causas commisimus custodiæ eorum Catholicorum confederatorum, & hominum suprà dictæ religionis octo vrbes, quæ sequuntur: Aiguesmortes, & Beaucaire, in prouincia Narbonensi: Perigueux & le Mas de Verdun, in Aquitania: Nyous & Serres, vrbem & arcem in Delphinatu: Ysloire in Aruernia: & Seyne la grand, & omnem ambitum eius in Prouincia. Quo nomine frater noster, Rex Nauarræ, Princeps Condaus, Tribunus militū Danuillæus, & ij quibus earū vrbium custodia mandabitur, cauebunt periculo fidei & honoris sui fore, vt diligenter & fideliter illæ custodiantur. Ceteris in vrbibus, quas nunc tenet, & quæ ab ipsis redditę erunt, vti suprà scriptū est, neq; adhibebuntur à nobis Prefecti, neq; collocabitur præsidium, nisi si quæ sint, in quibus iam olim adhibere & collocare consuetū fuerit, & maximè regnante Henrico Rege Domino & Patre nostro. Sed et subditos nostros omnium aliarum vrbium subleuare cupientes quibuscumque in rebus possumus, declaramus nullū in illis vrbibus præsidium aut præfectū futurū, nisi eo modo, quo vtriq; fuerint tēpore Henrici Regis, quem diximus, Domini & Patris nostri. vti nec in arcibus, oppidis, ædibus, et bonis priuatis subditorū nostrū, cuiuscunq; sint conditionis, alia præsidia esse voluntus, quam quæ esse consueuerunt tempore pacis.

LX.

Interdicim' omnib' cōcionatoribus, lectoribus et alijs qui ex publico loco verba faciunt, ne vtantur verbis,

E 2 orationi.

orationibus; sermonibus ad seditionem excitandam
spectantibus: qui iniunximus illis & iniungimus, vt si-
bi temperent, & se gerant modestè, ne nè quid dicant,
quod ad institutionem & ædificationem auditorum,
ad pacis ac tranquillitatis à nobis in hoc regno consti-
tutæ tuitionem non faciat. qui secus fecerint, eos subij-
cimus ijs pœnis, quæ superioribus editiis nostris sancti-
tæ sunt, & vt eam rem sibi studio habeant Procuratores
nostrí generales, & alij officiales, districtè præcipimus.

LXI.

Volumus, statuimus, & nobis placet, vt omnes Re-
stores prouinciarum, Balliui, Senetcalli, & alij iudices
ordinarij ciuitatum huius regni, postquam hoc editū
acceperint, statim iurent se datus operam, vt obser-
uetur, vnuſquisque in suo territorio. vti etiam facient
Magistri, Decuriones, Capitolini, & alij ciuitatum offi-
ciales tam annui, quam perpetui. Iniungimus præterea
nostris Balliuſ, & Senescallis, aut corum locum tenen-
tibus & alijs iudicibus, curen, vt primores incolæ ciui-
tatum, huius siue alterius religionis fuerint, obſtrigant
ſe iure iurando ad tuitionem huius editi intra octo dies,
postquam id publicatum fuerit, subiicientes omnes
subditos nostros tutelæ & defensioni nostræ, & inui-
cēm alios aliorum tutelæ ac defensioni. Idem iusiurandum
præstabitur apud Balliuos, & Senescallos in cuius-
que territorio à magnatibus & nobilibus; quo ob eam
cauſam ſiſtere illos debebunt intra ſuprà scriptum tem-
pus, vt tamen ad eſſe poſſint vel per ſe, vel per procura-
torem. Et quod ad annuos officiales attinet, renouabitur
hoc iusiurandum, cum ad suas functiones admit-
tentur.

Et

35
LXII.

Et ut tam Iuridici nostri & officiales, quām alij subditi planè & certò de voluntate atque animo nostro cognoscant; tollendarum omnium ambiguitatum, & dubitationum caussa, quæ ex præcedentibus edictis possunt incidere, declarauimus & declaramus omnia edita, literas, declarationes, moderationes, restrictiones, & interpretationes, Arresta, & acta, & tam secreta, quām alia, & quæcunque deliberata antè à nobis facta sunt in Curijs nostris Parlamenti, & alia, quæ fieri possent in posterū aduersus hoc editum nostrum, ad caussam religionis & tumultuum, qui in hoc nostro regno existierunt, pertinentia, omnia nullam vim, nullum effectum habere. quibus, vti & clausulis derogatoriis, quæ illis continentur, derogauimus hoc editio, & derogamus, & iam nunc, quasi tunc id fieret, irrita ea facimus, reuocamus, & nulla esse iubemus. breuiter nominatim declaramus velle nos, vt hoc editum nostrum ratum sit, firmum, & inviolabile; custodiatur & obseruetur tam ab ijsdem illis officialibus & Iuridicis nostris, quām à subditis, contentis & repudiatis omnibus, quæ possent aduersari, & illi derogare. Quoq; facilius obtineri possit, vt id editum mandetur executioni, audianturq; querelæ subditorum nostrorum super his, quæ contrā sient; iniungimus carissimis & dilectis cognatis nostris Tribunis militum Franciæ, vt se conferant quisque in provincias suæ curæ commissas, & sine mora prouideant omnia, quæ ad tuitionem & executionem eius editi pertinebunt.

LXIII.

Mandamus præterea dilectis nobis, & fidelibus viris

E 3 Curiarum

Curiarum nostrarū Parlamenti, vt simulātque hoc edī-
 tūm publicatum acceperint, posthabitū rebus omni-
 bus, nisi velint omnia alia à se acta nulla esse, idem illud
 iūsiurandum, de quo suprà comprehensum est, prēstent;
 curēt etiam, vt hoc nostrū edictū publicetur, & in acta
 nostrarum Curiarum referatur totidem verbis, eadēmq;
 forma, purè & simpliciter nullis additis moderationi-
 bus, restrictionibus, declarationibus, aut actis secretis;
 neq; in eo aliud iussū, aut mandatū à nobis exspectēt.
 Procuratoribus autē nostris generalibus, vt confessim &
 sine mora postulēt & persequātur eiusmodi publicatio-
 nem. Similiter & locum tenentibus nostris generalibus,
 & Rectotibus prouinciarū nostrarū iniungimus, vt cu-
 rent pro se quisq; edictū publicandum in omnibus locis
 & partibus prouinciarū suarum; custodiendum id &
 obseruandum non exspectata curiarum nostrarum pu-
 blicatione, ne quis in eo villam obtendat ignorantia-
 causam, & quo promptius omnes hostilitatis via, collec-
 tiones pecuniarum, occupationes & demolitiones o-
 mnes vtrinq; prēcludātur. Quo loco de his collectionib;
 pecuniarū, demolitionibus, occupationibus, rapinis bo-
 norum mobiliū, deq; aliis hostilibus actibus, qui publica-
 tionem supràdictam, & significationem eius, quam lo-
 cum tenētes nostri generales ediderint, sequi posseunt, iā
 nunc declaramus, si quid eorum secutū erit, omnia ob-
 noxia esse restitutiōni, coērcitioni, & satisfactioni. In
 quo volumus aduersus eos, qui cōtrā fecerint, inquire &
 statui pro qualitate delicti: in eos quidem, qui in violati-
 one & infractione huius edicti arma, vim & metū adhi-
 buerint, quo minus edictū suam vim & effectum tene-
 at, vt extremo supplicio afficiantur: qui autem sine ar-
 mis

mis, non adhibita vi & metu contrà venerint, vt hi plentur alis pœnis, vt pœna corpori inficta, exilio, multa pecuniaria, & aliis pro grauitate delicti. quæ res erit in arbitrio & moderatione iudicium, quibus eius rei cognitionem cōmisimus. imponētes hoc ipsorum existimationi & conscientiæ, vt in eo iustè atq; integrè se gerant, & ea æquabilitate, qua oportet, nulla habita ratione, aut discriminē vel personarum vel religionis. Volumus etiam, vt omnes militum manus vtriusque partis, tam equitum, quam peditum, & tam Francorum, quam exterritorum; exceptis numeris stipatorum nostrorum, & præfidiis ordinariis limitum, postquam edictum hoc in suprà dicta nostra Curia Parlamenti publicatum erit, confessim viam ingressi in suam patriam se, & suas sedes recipiant. viuentes quam mitissimè & modestissimè fieri poterit, & quam minimo incommodo nostrorum subditorum. temperantes à vi, rapina, & con-cussionibus. quarum rerum si quis quid admiserit, capite faneimus.

Quod reliquum est, mandamus iisdem illis viris tenentibus Curias nostras Parlamenti, conclavia rationum nostrarum, Curias subsidiorum nostrorum, Balliuis, Senescallis, Præfectis, & aliis iuridicis, atque officiis nostris, ad quos ea res pertinebit, aut illorum locum tenentibus, vt nostrum hoc edictum curent legendum, publicandum, & in aëta publica referendum suarum Curiarum, & jurisdictionum: tuendū item & custodiendū, in uiuolabilitérq; & omni ex parte obseruandum: dent etiam operā, vt his quæ eo continētur, omnibus ad quos pertinebit, sine exceptione & interpellatione vlla vti ac frui liceat, amotis interturbationib^z & impedimentis omnibus

omnibus contrarijs. Sic enim est voluntas nostra. Cuius rei testificandæ caussa, his literis subscriptissimus nostra manu, & vt res perpetuò firma esset & stabilis, his ipsis sigillum nostrum apponendum curauimus.

Datum Lutetiæ mense Maio, anno salutis millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, & regni nostri secundo.

Subscriptum

H E N R Y.

Et infra: A Rege cum esset in suo consilio,

F I Z E S

Et à latere,

Visa.

Et signatae literæ super cingulo serico rubro & viridi, cera viridi, sigillo magno.

Lectæ, publicatæ, & in acta relatæ, audito & id desiderante Procuratore generali Regis, Lutetiæ in Parlamento, Rege ibi sedente, decimo quarto die Maij, anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto.

Subscriptum,

D V . T I L L E T .

Lectum similiter, publicatum, & in acta relatum in conclaui rationum auditio & id postulante Procuratore generali Regis, decimo sexto die Maij, anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto.

Subscriptum,

D A N E S .

Lectum, publicatum, & in acta relatum in Curia subsidiorum Lutetiæ, auditio & id postulante Procuratore generali Regis vicesimo tertio die Maij, anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto.

Subscriptum,

L E S V E R .

F I N I S .